

Nonnulla de oratione M. T. Ciceronis, quae inscribitur pro M. Marcello, contra F. A. Wolfium et L. Spaldingium.

Verum, ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Hor. de arte poet. 351 sq.

Duo potissimum erant, quae, ut hoc periculum subirem, remque toties tractatam denuo tractarem, me movebant: alterum contentus et quasi exsilium, quibus Marcellianam illam orationem, quacum familiaritatem quandam contraxeram, ex quo F. Passovium, praeceptorem dilectissimum, de ea disserentem audiveram, meo quidem iudicio immerito laborantem videbam; alterum, quod intelligebam, litem illam, quam F. A. Wolfii, ¹⁾ V. Cl. gravissimis criminationibus, aliquot annis post a Spaldingio, ²⁾ viro doctissimo, auctis et completis, concitatam esse inter viros doctos constat, neququam esse dijudicatam, nec causam orationis post Savelsii ³⁾ maxime et Passovii ⁴⁾ diligentissimas curas sic perditam et afflictam jacere, ut de ea in priorem laudem et auctoritatem aliquando restituenda prorsus esset desperandum. Quamquam enim editores C. D. Beckius (1795—1807), C. G. Schützius (1814—1821), J. C. Orellius (1826—1831), viri de Ciceronis scriptis summe meriti, nihil moti argumentis, quae

¹⁾ M. Tulli Ciceronis quae vulgo fertur oratio pro M. Marcello. Recognovit F. A. Wolfius. Berol. 1802.

²⁾ In Museo Antiquitatis studiorum opera F. A. Wolfii et Phil. Buttmanni. Berol. 1808. Vol. I. p. 1 — 94.

³⁾ Disputatio de vindicandd. M. T. Ciceronis V oratt. scrips. Jo. Aug. Savels, in progr. Gymn. Aquisgran. a 1828.

⁴⁾ Ueber Cic. Rede f. d. M. Marcellus 1829 in Actis antiq. studiorr. 1835 No. 14—16 et in F. Passov. Opusc. ed. W. A. Passov. Lips. 1843 p. 248 sqq.

contra Wolfium ab Ol. Wormio, Dano,¹⁾ Benj. Weiskio²⁾, Jo. Leon. Hugio³⁾ VV. DD. ad defendendam et Ciceroni vindicandam orationem pro M. Marcello proposita essent, eam aut omiserunt aut ab iis, quae vere Ciceroniana habentur, sejunxerunt atque ad spuria et suppositicia relegarunt, quos secuti doctissimus A. Matthiaeus⁴⁾ in delectu orationum Ciceronianarum, scholarum usui dicato, et qui novissimas editiones Halenses curavit, eam neglexerunt, non tamen defuerunt alii, qui, argumentis a Wolfio et Spaldingio ll. ll. allatis fidem negantes eorumque auctores justo audacius egisse censentes, oratiunculae nostrae locum non inviderent, sed consueto eam loco servarent; quod fecerunt Fr. A. Nobbius⁵⁾, A. Moebius⁶⁾ in delectu suo et Ferd. Schultzius,⁷⁾ novissimus, quod quidem compererim, orationum selectarum editor. Reinh. vero Klotzius,⁸⁾ cujus in his rebus iudicium plurimi aestimandum, in editione omnium Ciceronis orationum nostram non solum recepit et in Praefatione de quibusdam paucis exposuit, sed etiam meliores lectiones e codicibus recipiendo easque rectius explicando plura removit, quae vere offenderent. Jam de Jacobi⁹⁾ libello commemorandum est, quem ultimum hic posui, quia mediam quasi viam ingressus, neque accusatoribus nec defensoribus illis plane accensendus, nec, quod equidem sciam, adhuc commilitonem et sui iudicii assertorem nactus est. Nova enim post Spaldingii censuram quaestione instituta, atque utriusque partis argumentis diligentissime et sagacissime pensitatis, multa quidem praeclare contra Wolfium eaque nova protulit, quod vero ad orationem attinet, qualem hoc tempore Ciceronis nomine insignitam circumferri constat, hanc ex minima tantum parte esse genuinam, sed potius ex vera illa Ciceroniana misere conscriptam et compilatam esse statuit.

- 1) M. T. Cic. or. p. M. Marc. *versitas* suspic. liberare conatus est Ol. Wormius. Havn. 1803.
 2) Comment. perpet. et plen. in or. Cic. p. M. Marc. auct. Benj. Weiskio, Lips. 1809.
 3) Lucubr. de or. Cic. p. Marc. in Ind. lectt. publ. Univ. Friburg. 1817.
 4) M. T. Cic. oratt. VII. et M. T. Cic. oratt. VI. in us. scholarum ed. Aug. Matthiae Lips. 1826. 1830.
 5) M. T. Ciceronis opera omnia, uno volumine comprehensa rec. F. A. Nobbe, Lips. 1827. ap. Tauchnitz. 4.
 6) M. T. Cic. oratt. sell. ed. A. Moebius ed. alt. Hanov. 1825 et 1828, qui vir doctus in summano, huic orationi praemisso, se cum iis facere profitetur, qui eam genuinam habeant, novis argumentis non allatis.
 7) M. T. Cic. oratt. XIV. Praem. Cic. vita in us. Gymnass. ed. Ferd. Schultz Arensb. 1843. et huj. edit. censuram in Nov. Ann. rerum philoll. cura Jahn et Klotz. Tom. XLII. fascic. 3. a. 1844, ubi censor (Fried. Schneider, Trzemesn). Schultzius reprehendit, quod tam dubiae auctoritatis orationem receperit.
 8) M. T. Cicero sämtliche Reden, ber. u. erl. v. R. Klotz. Spz. 1835 Erster Band.
 9) De orat. q. inscr. p. M. Marcello Cic. vel abjudic. vel adjudic. quaestio scr. A. L. G. Jakob. Berol. et Hal. 1813.

Quam conjecturam interpretatione IV priorum capitum confirmare et fulcire conatus, in calce disputationis formam veteris illius et genuinae orationis e singulis nostrae sententiis reficere et componere studuit, quod vereor ne paucis tantum probaverit. Haec sunt nomina eorum, qui in hac causa plus minus feliciter egerunt, ad nostrum quidem consilium sufficientia; qui vero omnes cognoscere curiosus est, Passovium l. l. adeat, ubi etiam hos viros doctos inveniet, qui de Marcelliana aut suffragium tulerunt aut benevole in eam senserunt, ex quibus unum commemorasse sufficiet, Casp. Garatonium.¹⁾ Jam vero ex his, puto, cognosci poterit, qualis sit totius controversiae conditio et ratio, rem certe sic comparatam esse, ut iudicium de ea ferre sive conjecturam facere res sane periculosae aleae videatur; tantis enim utrimque copiis excitatis, tam multis tamque diversis argumentis inter se oppositis, necesse est in dies implicatius fieri, de quo certatur.

Quodsi hic quaerat quispiam, quibus ego auxiliis fretus in hanc arenam descenderim et causam attigerim, qualem modo descripsi tractatu difficillimam, equidem non is sum, qui me doctissimis illis viris comparem mihiq̄ arrogem, me ad felicem exitum esse perducturum, quod illi fortasse imperfectum reliquerint, hac potius laude contentus ero, rem, quam jamjam in oblivione jacentem²⁾ cognoscebam, iterum me excitavisse, in nonnulla, quae fortasse minus illustrata esse videbantur, denuo inquisivisse, singula denique a VV. DD. omissa vel minus perpensa, sic collegisse, ut causae ab illis defensae ponderis aliquid afferre posse videantur. Ad quod accedit, quod nec Savelsius nec Passovius orationem ipsam attigerunt sed maxime contenti fuerunt, alter de testimoniis grammaticorum copiosissime exposuisse, alter de externis rationibus et historicis sic disseruisse, ut, Ciceronem orationem pro M. Marcello revera habuisse et nisi, omnia fallant, etiam literis consignasse, pro excellenti suo ingenio et sagacitate demonstraret. Quae quum ita sint, facilius veniam me impetraturum esse confido, quod hanc potissimum materiem, meis viribus facile superiorem, elegerim, quibus praemissis jam ad rem ipsam accedam, ordine, quo res omnibus VV. DD. tractanda esse visa est, quantum quidem ad meum consilium pertinet, a me quoque servato.

Constat F. A. Wolfium, postquam in praefatione ad IV. orationes p. 44. consilium suum paucis tantum significavit, paullo post iisdem copiis, quibus ad accu-

1) His e recentioribus adjiciam Guil. Drumann in: *Historia Rom.* p. III., 611 et B. R. Abeken in: *Cicero in seinen Briefen* p. 297. et J. C. F. Baehr in *Histor. liter. Roman.* 1828. p. 387.

2) Hoc ex eo conjicio, quod inde ab anno 1828, quo Savelsii, et 1835, quo Passovii disputatio prodiit, causa Marcelliana neminem, qui de ea ageret, invenerit.

sandas et damnandas illas usus erat, Marcellianam quoque aggressum esse eamque praefat. ad orat. p. M. Marc p. 16 talem esse censuisse, „cujus vix aliquam partem scribere Cicero potuisset, si vigilans aut somnians hanc actionem scripto mandare voluisset,“ et p. 36 demonstrari posse pollicitum esse, eandem „esse inanem rerum, verbis, formulis, constructionibus saepe vix latinam, in tota compositione ineptam, stultam, ridiculam; denique fatuo principe, Claudio, quam Cicerone digniorem.“ Quae quum per se spectata inauditam quandam audaciam prae se ferre videantur, tum majorem etiam admirationem movebunt, si cum iis, quae a Manutiis, Victoriis, Lambinis, Gronoviis, Latinarum literarum principibus, in eandem orationem congestae sunt, laudibus ¹⁾ conferuntur, quaeque ita comparata sunt, ut si quis in nostrum vel in quodlibet aliud melioris notae scriptoris opusculum cadere illa pervicerit, de ea in omne tempus actum fore facile concedamus. His vero non contentus, fortasse etiam ut facilius, quae spondisset, praestaret, omnino edi potuisse Marcellianam orationem negavit, quod Cicero ejus modi orationem nunquam habuerit; quod utrumque facillimum sit ad demonstrandum primum e verbis Ciceronis ipsius, tum e testimonio Plutarchi, deinde ex indole et moribus illius aevi; de quibus singulis videndum erit.

Verba Ciceronis, quae Wolfius respicit, in celeberrima illa epistola ad Sulpicium ad Fam. IV., 4, § 3 leguntur: — — — „Uno te vicimus, quod De Marcelli, collegae tui, salute paullo ante, quam tu, cognovimus: etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes: post has miseras, id est, postquam armis disceptari coeptum sit de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. Nam et ipse Caesar, accusata acerbitate Marcelli — sic enim appellabat — laudataque honorificentissime et aequitate tua et prudentia, repente praeter spem dixit, „se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum.“ Fecerat autem hoc senatus, ut, quum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et quum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret et ad Caesarem supplex accederet. Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus

¹⁾ Qui fortasse neque editiones ipsas nec Wolfi libellum ad manus habebunt, iis gratificaturus honorificentissimas illorum virorum censuras, a Wolfio liberalissime nobiscum communicatas, exscribam. Ait enim P. Manutius in Commentario ad cap. X: „consequi ut tota Oratio, mirabili artificio condita, Caesarem delectarit,“ et Jo. Fr. Gronovius in Observevatt. p. 712 eam vocat „in comparabilem Panegyricum, Plinii incomparabili Panegyrico copulandum, quem in omnibus sibi imitandum, tanquam optimum, proposuerit Plinius,“ V. Wolf. praef. p. 11 sq.

7

est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae. Itaque quum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent praeter Volcatium — is enim, si eo loco esset, negavit se facturum fuisse — ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias: meque metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otio privarim; quod erat unum solatium in malis. Sed tamen, quoniam effugi ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur me hanc rempublicam non putare, si perpetuo tacerem: modice hoc faciam aut etiam intra modum, ut et illius voluntati et meis studiis serviam.“ — — Habemus hic testimonium, quo nec locupletius nec luculentius optari ullum potest; ipse enim auctor dixisse se scribit in Senatu, et ita dixisse, ut non sicut ceteri senatores sententiae suae dicendae pauca tantum gratulatoria verba adungeret, sed ut, quae dixisset, justae orationis modum expleret. Neque hoc omnium temporum viri docti agnoscere non potuerunt, et in hac ipsa epistola gravissimum testimonium firmissimumque praesidium latere rati omnibus, quae forte movebantur, suspicionibus illa quasi Palladis *aiyida* praetenderunt. Quid vero Wolfius? Quum videret, epistolam ipsam suis consiliis esse inimicissimam, ipsum argumentum nihil curans sive non curare simulans, ut insidiator bonus et callidus eam illius epistolae partem aggressus est, qua fore ut machinis suis difficilius resisteretur sperare potuit. Hanc partem deprehendit in illis pluribus verbis, quibus arreptis sic uti conatur Vir summus, ut argumentum ipsum et sententiarum nexum prorsus iis conflagat et prosternat. Dicit enim l. l. p. 26: „Ad haec adde hujus aetatis morem et elegantiam, cui, me quidem iudice, contrarium videtur, verbis pluribus uti aliquem in gratiarum actione, quam quae res ipsa postularet, id est, ut Cicero dicere solet, amplissimis, singularibus, seu pluribus quam factum esset a ceteris Senatoribus.“ Qui ita dicit, hanc contra se suspicionem moveat necesse erit, ut scriptorem calumniari, quam aequae censere, testem corrumpere, quam recte usurpare malit. Quid enim? Si pluribus verbis quam res postulet seu quam factum sit a ceteris Senatoribus uti ineptum videtur, quid hoc aliud est ac Ciceroni ipsi ineptias imputare eumque dicentem facere, quae summus ille orator nullo modo dicere potuerit? Idem omnes etiam senserunt Marcellianae defensores, Wormius, Weiskius, ceteri, e quibus Savelsius l. l. p. 10: Itaque, inquit, si pluribus verbis uti in gratiarum actione non licebat

illo tempore, peccatum hoc est Ciceronis, quem ut poeniteat, tantum abest, ut gloriose illud praedicet," et Jacobus p. 3: „De qua re pluribus verbis agi licuerit, eam etiam sic describi oportere" Passovius vero censet, rationem, qua Wolfius ex illis pluribus verbis argumentum contra nostram orationem arcessere studeat, tali viro esse indignam l. l. p. 272. Recte hoc quidem, quum omnibus etiam mediocri doctrina imbutis perspicuum esse oporteat, omnem vim, quam Wolfius illis pluribus verbis tribuat, fucata esse et fictam, et pro nihilo esse aestimandam, si cum omni argumento conferantur. Quidni enim Vir summus totum locum impugnaverit? Quidni demonstraverit, nexum sententiarum: Itaque — — ego rogatus mutavi meum consilium — — nam statueram — — — in perpetuum tacere — — — fregit hoc meum consilium — — — meque metuo ne etiam in ceteris rebus — — — sed tamen — — — modice hoc faciam aut etiam intra modum suae illorum verborum interpretationi favere? Quidni tandem ostenderit, nec praecedentibus nec sequentibus quidquam ponderis essetribuendum prae illis pluribus verbis? Quae quum ita sint, quid doctissimi Spaldingii de eadem re detecta valde timeamus, equidem non video. Qui vir cum assiduitate sane laudabili quum infinitam multitudinem locorum ex ipsis Cicero nis scriniis conquisivisset, ex illis efficere conatus est, plura verba nunquam alio sensu apud Ciceronem inveniri nisi pro paucis sive quibusdam verbis, haec enim perhibet l. l. p. 79: Mihi quidem in frequentissimo hujus formulae, pluribus verbis, multis verbis usu vix ullus demonstrari posse locus videtur, ubi sermo tantus, quantus efficit orationem, indicetur" et p. 80: „Apparet plerumque de litteris vel de sermone familiari usurpari formulam;" ad quae jam Jacobus p. 3 recte, ut mihi videtur, respondit, in illis locis, quos proposuerit doctissimus Spaldingius, duo reperiri, quorum alter pro Rabir. perd. II., 7 tantum verborum numerum significet, qui intra semihorae spatium perorari nequeat, alter vel adeo orationem LVIII. capitum, p. Cluent. Avit. c. LIX. ¹⁾ Recte igitur Jacobus et Passovius his locis Marcellianam censent damnandam non esse, quod longior sed quod brevior sit, quam e pluribus verbis conjici liceat. Quod vero ad illa p. 80 „de litteris vel de sermone familiari usurpari formulam" idem Jacobus difficilius esse censet, sermonis familiaris omnino modum statuere, epistolas vero natura bre-

¹⁾ Or. p. Rab. perd. r. II., 7: Nisi forte de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respodendum putas.

Or. p. Cluent. Av. c. LIX., 160: Atque, ut existimetis, necessario me de his rebus, de quibus jam dixerim, pluribus egisse verbis, attendite reliqua.

viores esse solere [quam orationes, quibus equidem addiderim, illa plura verba, natura sua tam infinita et ambigua esse, ut notio iis tribuenda prorsus a voluntate et consilio dicentis pendeat, quemadmodum enim fieri potest, ut, re ipsa cogente, pro consilio nostro pauca tantum verba longam orationem appellemus, sic etiam orationem longiorem sub paucis sive pluribus verbis latere posse apparet. Ceterum v. etiam Passov. l. l. p. 272 sq. Non melius se habent, quae Wolfius p. 28, ut suam de illis pluribus verbis sententiam confirmaret et fulciret, ex alio scriptore, Plutarcho, arcessivit, qui in Cic. vita c. 39. p. 880 haec: τί καλῶναι διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκούσαι λόγοντος, ἐπὶ πάλαι κέρχεται πονηρὸς ἀνὴρ καὶ πολέμιος;

Ex his sive potius e formula διὰ χρόνου argumentum Wolfius eruere conatur, quo omnem ipsius Ciceronis auctoritatem debilitatum et fractum iri putat. Non enim διὰ χρόνου ut fieri solet, breve aliquod tempus significare censet, sed contra longum tempus, ut vertendum sit: post longum tempus; quod aperte falsum esse, non opus est pluribus me demonstrare, praesertim quum ab omnibus Wolfii adversariis ab Hugio, p. 5, Wormio p. 22, Weiskio p. 49, Savelsio p. 10, Passovio p. 275 et de Plutarchi ipsius et de hujus loci auctoritate tam clare et copiose expositum sit, ut dubitationi jam non locus relinquatur, nec grammatici aliud quid docent, cf. Matthiaei gr. maj. p. 1150 § 580 et Herm. ad Viger. p. 856.

Quorum interpretatione non solum id efficitur, ut Wolfii ratio falsa esse demonstretur, sed etiam omnibus probetur, illa Plutarchi nostrae de Marcelliana oratione sententiae nullo modo adversari quid? quod amicissime favere. Quodsi enim constat, Ciceronem in Ligarii causa exeunte anno 708 dixisse, Marcelli vero restitutionem ejusdem anni exeunte mense Majo factam esse statim post Caesaris reditum ex Africa, necessario inde sequitur, ut Caesar Ciceronem in alia etiam causa verba facientem audiverit, quippe qui ipse ab anno 695 Roma absens fuisset, quo tempore Ciceronem non audiverat. Sive igitur Plutarchum testem accipimus et verba vertimus eo modo, quo unice vertenda sunt: „Quid obstat, quominus post aliquod tempus sive per intervalla Ciceronem audiamus dicentem?“ sive hoc omne testimonium cum Jacobo rejicimus, nihil inde ad Ciceronis expressa verba labefactanda effici posse intelligitur. Ac quod accedit, ut ipse Plutarchus narratiumculam suam non pro certa et indubitata vendat, quum in narrationis fronte dixerit λέγεται δὲ καὶ Κοίντου Λιγαρίου δίκην φεύγοντος et q. s. quod Wol-

fius prudenter omisit. ¹⁾ Jam, postquam falsa esse, quae et e pluribus verbis illis et e Plutarchi testimonio demonstrare conatus sit Vir Cl. nihilque contra ipsius Ciceronis testimonium efficere, sed vel maxime id confirmare, demonstratum est, omnis illa Wolfii disputatio, p. 26 sq. etsi ingeniosissime excogitata, de illius aetatis more et elegantiâ, cui contrarium esse videatur, aliquem in gratiarum actione longiore oratione uti, de studio et cupiditate seriorum rhetorum quamque materiam arripiendi ad declamandum in scholis, de multis denique, quae fraudem fieri in magnorum virorum scriptis tum temporis passa sint vel etiam flagitaverint, penitus labefactetur et corruat necesse erit. Omnia enim, quae Wolfius, qua est summa doctrina et sagacitate, copiosissime et elegantissime perhibuit, licet per se spectata verissima esse possint, in illa plura verba certe cadere non possunt, quum, sive contrarium sive consentaneum fuerit illius temporis mori et elegantiae, id omnium suffragiis extra dubitationem positum sit, Ciceronem illo die revera dixisse, quod si non debebat, ipse videat, quomodo culpam praestet.

Restat igitur, ut fictis illis difficultatibus et offensionibus remotis, paucis explicem, quid Ciceronem, ut tam ambiguam et infinitam formulam usurparet, nec potius scriberet: „Justa oratione egi Caesari gratias“ sive ad gratias Caesari agendas orationem habui adducere potuerit. Aptissime vero de hac re et Jacobus p. 5. et Passovius p. 273 exposuerunt et dignissima quae legantur, e consilio fuisse Ciceronis, rem, qualis acta esset, significantissimis verbis illustrare, tanquam singularem inauditamque depingere, contra quae ipse in hac causa fecisset, quasi leviora et memoratu non digna occultans et praeteriens referre, quippe qui ad virum scriberet, moderatione et constantia nostro Cicero longe praestantem et ob has ipsas virtutes Caesari maxime commendatum. Cujus mores quum probe nosset Cicero, verendum huic erat, ne, quod in senatu illo die fecisset, levitatis et in constantiae justo majoris nota ille afficeret. Quam ob rem temporum etiam ra-

¹⁾ Antequam hanc Ligarii causam relinquimus, liceat ex ipsa Ligariana aliquid promere, quod a Passovio, quod quidem sciam, primum deprehensum et commemoratum est. Qui enim summi oratoris ingenium et mores probe norint, iis summam, opinor, admirationem excitabit, quid? quod prorsus incredibile videbitur, eundem virum, qui alias quamlibet occasionem de se loquendi studiosissime arripere solitus sit, in illa oratione exordiendi sic se continuisse, ut ne verbo quidem omnia illa attingeret, quae ipsa se offerrent. Si enim Wolfii inventa vera essent, Ligarii causa post bellum civile, post infelicissimam reipublicae cladem prima fuisset, in qua Cic. publice peroraret. Sin vero ponimus, eundem in Marcelli causa paucis ante mensibus jam omnia dixisse, quibus pectus ejus redundaret, omnis offensio tollitur, nec quemquam jam offendet nuda illa et fere inusitata ratio, qua Ligarii defensionem orditur: Novum crimen, C. Caesar, atque inauditum et q. s.

tionem neglexisse se simulat, quasi eorum, quae senatus fecerat ante, quam Caesar Marcello veniam dedisset, oblitus esset. Eandem ob causam, quae Caesar illo die gessit, tam vividis coloribus, tam lectis et exquisitis verbis exornat, ut ferè suspicionem moveat, eum consulto rem aliquantulum supra veritatem auxisse. Ceterum quid est, quod obstat, quominus omnia ejus diei acta vere tam praeclara fuisse censeamus, ut, quae Cicero de illis scribit: „Ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae“ ex ipso animo et pectore profecta sint? Haec fere Jacobus et Passovius ll. ll. quibus modo addiderim, simplicius etiam nodum esse solvendum, si ponimus, Ciceronem, qui et praecedentibus et sequentibus rem, quantum opus videretur, se descripsisse et aperuisse sibi conscius esset, nullo modo necessarium habuisse, ut rem magis illustraret, praesertim quum hoc modo arrogantiae quandam speciem optime effugere posset.

Haec sufficiant de illa parte disputationis, qua Ciceronem illo die sic in senatu dixisse demonstrandum erat, ut plura ejus verba optimo jure justa oratio dici possent, siquidem a brevioribus illis orationibus pro Ligario et pro Dejotaro ambitu vix superantur.

Quibus relictis, statim ad orationem ipsam accedam, quae inscribitur pro M. Marcello, quaeque Ciceronis nomen prae se ferens illam ipsam se esse autumat, a summo oratore in Marcelli restitutione apud Caesarem habitam, quaestionem, utrum a Cicerone etiam scripta sit annon scripta sit, in alium locum reservaturus. Qua in re quum sane plurimi interesse videatur, orationem veterum quoque testimoniis comprobari, de his primum videndum erit.

Tria omnino hujus generis testimonia habemus, unum Asconii Pediani, qui in commentat. ad divin. c. 6 ad verba: Etiam si tacent, satis dicunt, haec laudat: Vereor, ut hoc, quid dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio et: Victoriā ipsam vicisse videris v. Or. p. Marcello, IV. 12. quibus addit: Haec in loco nec oxymora nec cacozela judicanda sunt; aut enim inferioribus dictis aut supra positis leniuntur. Secundum Nonii Marcelli, qui s. v. imitatio habet haec: Illo aemulo atque imitatore studiorum meorum v. p. Marcello I, 2.

Tertium Prisciani, qui plura affert, et quidem lib. III. p. 605 haec: Simillimum deo judico p. Marc. III, 8 et lib. V, p. 667: Ut si in alterutro peccandum sit, malim timidus, quam parum prudens videri v. p. Marc.

VII, 21 et lib. XXIII p. 1125: Tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris v. p. Marc. VIII, 25.

Quae, quamquam non multa, prorsus tamen sufficiunt ad nobis persuadendum, orationem pro M. Marcello illis temporibus pro Ciceroniana esse habitam; quodsi enim aliter res se haberet, illi viri locos non sic nudos proposuissent, certe aliquid addidissent significaturi, incertae esse originis et fidei. Neque hoc Wolfius infitiatur, concedens praef. p. 10: „Nam hoc quidem nos credere oportet Asconiis, Quinctilianis, reliquis illorum temporum Grammaticis et Rhetoribus, satis vetustum esse, quod a ipsis laudatur pro vetusto, certe non ab aequalibus eorum suppositum,“ mox autem veritus, ne indulgentior esse videatur, addit: „Illud tamen ne antiquissimi quidem auctoris fide dijudicari potest, an quid ejusmodi Ciceroni potius quam aliis tribuendum sit, ejusque manu et excellenti ingenio dignum putandum.“

Haec quidem rectissime V. S., ad nostram vero orationem culpandam nihil conferunt. Quid enim? Nonne omnia, quae Wolfius adversus personatum suum Ciceronem in medium protulit, hoc fundamento exstructa sunt, ut Ciceronem omnino ejusmodi orationem habuisse negaret? Quo posito, fraudis alicujus suspicionem moveri in eo, qui illud negaret, fere necessarium erat. Recte igitur Wolfius externa testimonia rejecit, quippe quae auctoritatem non habeant nisi secundariam, neque in re incerta vel etiam sibi ipsi contradicente quidquam conferant ad eam dijudicandam. Quum vero fundamentum illud infirmissimum vel potius nullum esse demonstrari possit, quid inde sequitur? Ceterum laudata illa testimonia quum omnia, quae ab iis desiderari possunt, praestent, quid est, quod ipsa sive auctores eorum diu premamus? Haec quidem jam nunc non temere sumta esse videbuntur, primum Ciceronem illo die justam orationem, suo potissimum testimonio comprobata, habuisse, secundum eam temporibus ad Ciceronem ipsum proxime accedentibus scriptam exstitisse et genuinam habitam esse, tertium illam orationem eandem esse, quam nunc habemus.

At fortasse Asconius ipse non minus quam Marcellus et Priscianus ceterique grammatici a fallaci quodam rhetore deceptus est, ut Ciceroniana haberet, quae in umbra scholae cujusdam a magistro coram pueris declamitante exsudata erant? Ad quod habeo, quae respondeam; primum, Asconii judicium et in Ciceronis scriptis ab aliis discernendis diligentiam merito addubitari non posse, quippe qui in

omnibus suis reliquiis aequè doctum ac consideratum, in Ciceronis sermone atque usu ita versatum et exercitatum se ostendat, ut, si quis alius, is fuisse videatur, qui genuina a suppositiciis dignoscere posset. ¹⁾ Secundum, Asconium, nisi omnia fallunt, tam prope ad Ciceronis ipsius aetatem accedere, ut inter Ciceronem mortuum et Asconium natum 40 vel summum 50 annos praeterlapsos esse, verisimillimum sit. Quamobrem, si statuamus, Asconium, etsi admodum juvenem, nonnullos e junioribus Ciceronis amicis et discipulis, de quibus ipse mentionem facit ad Fam. VII, 33, vidisse vel etiam audivisse, quum ex Asconii verbis ad orat. pro Scauro p. 1013 (ed. Graev.) eluceat, eum circa annum 41 p. Chr. imperante Claudio scripsisse, non longe fortasse a vero aberrabimus. Quibus non adversantur, quae Servius et Philargyrus ad Virg. eclog. III, 105, IV, 110 referunt, Asconium juvenem Virgilium audivisse. ²⁾ Utcunque vero res erit, id extra omnem dubitationem positum esse videtur, fraudi faciendae, si quam fieri potuisse statuamus, nisi intra spatium illud 70 vel 80 annorum, quod intercedit inter Ciceronem mortuum et Asconium commentationes scribentem, locum non fuisse relictum. Quae res quantis prematur difficultatibus, nemo melius exposuisse mihi videtur, quam J. M. Gesnerus, vir mea laude plane superior, qui ad Asconii auctoritatem defendendam in simili causa contra Marklandum l. l. p. 87:

„Cogitemus,“ inquit, „obiisse Tullium, relicto filio, relicto Tirone, salvo Attico suo et multis aliis vel amicis vel discipulis: cogitemus, coepisse tum strui bibliothecas, in quibus reponerentur vel maxime Tulliana volumina, fuisse tabernas librarias, superfuisse tum judiciorum, in quibus egerat Cicero, commentarios, ab ipso Asconio adhibitos, acta item Senatus et urbana, ipsas manus nobilium scriptorum, quae sane tantas obijciunt fraudi et imposturae, de qua agimus, difficultates, quas superare omnes vix summa posset industria. Accedit, quod non minimam habere vim existimo, mutatio reipublicae, quae a Tullii morte ingruit, et cum ea eloquentiae.“

Jam nihil ob stare videtur, quominus ad eam hujus quaestionis partem transeamus, quae agit de compositione et arte; qua de re ut recte judicari possit, non absolum erit, oratiunculam perlustrare, et quidquid in ea reperisse mihi videbor,

¹⁾ Savels l. l. p. 12 sqq. qui hanc partem copiosissime tractavit et J. M. Gesnerus in praef. ad IV orat. p. 85, sqq. Madvigii, doctissimi Dani, librum De Asconio Pediano doleo, quod nondum mihi contigerit inspicere.

²⁾ Cl. A. Maji Praev. dissertat. ad Cic. orat. in Clodium §. XII, p. 19—26, qui eum Livii amicum nuncupat, et J. C. F. Baehr l. l. p. 396 ed. a. 1828.

cum lectoribus communicare, quantum quidem fieri poterit, diligentissime excerpta. Quodsi primum de externa specie quaerimus, constat oratio pro Marcello, quae omnino XI capitum est, duabus partibus ejusdem fere ambitus, quarum altera Caesari gratias agit capp. I—VI, altera insidiarum quandam suspicionem refutare studet capp. VII—X, quibus absolutis orator ad prioris partis argumentum reversus, uti exorsus est, orationem concludit, gratias agens cap. XI.

In exordio orator, suas in hac causa partes explicans et defendens, ingenue confitetur, qua re adductus ad pristinae vitae consuetudinem redierit, et silentii, quo per longum temporis spatium usus sit, finem fecerit. Hanc esse animi magnitudinem, quam modo ostenderit C. Caesar in restituendo M. Marcello, quo restituto, se ipsum quoque et senatui et reipublicae esse redditum sibi videri, quippe qui semper inaequalem veteris amici et socii fortunam doluerit. Quod, quum soli Caesaris virtuti et sapientiae debeatur, latius etiam patere, atque ad optima quaeque de re publica speranda invitare et adhortari, nam Caesarem, quemadmodum jam in aliis et maxime in dicente ipso significaverit, illa restitutione luce clarius demonstrasse, se patriae salutem omnibus propriis doloribus et suspicionibus anteferre. Nec minus Marcellum ipsum hac re ornari, quippe qua gravissimum virtutis et praestantiae nactus sit testimonium, senatus ipsius et C. Caesaris, Cap. I, §. 1—3.

Jam ad ipsam accedit gratiarum actionem, quam sic instituit, ut Caesaris res bello gestas cum ceterorum et imperatorum et regum factis componat, easque omnibus quidem anteponendas, minores tamen esse censeat, si cum hujus diei laude conferantur, primo quod omnes illae res, etsi eximiae et singulares, non sine sociis et adjutrice Fortuna gerendae sint, quibus utrisque igitur gloriae partem nec fere minimam deberi. Cap. II, §. 4—7. Secundo, quod ejusmodi virtutes in iis tantum rebus exercentur, quae natura sic comparatae sint, ut vinci possint. Hoc vero nullo modo quadrare ad animum humanum, quem quum vincere difficillima sit res, ad Deorum similitudinem accedere, qui his majora faciat, et adversarium jacentem non modo extollat sed etiam ornet atque honoret. Tertio illam gloriam rebus fortiter gestis comparatam admirationem quidem movere et per omnia tempora celebrari, in hoc tamen cedere et superari a laude clementer et moderate factorum, ut hujus auctores diligantur, quum illos nonnisi laudent et praedicent. Quod quum in absentibus fieri jam soleat, omnes qui hujusmodi facti auctorem cernere atque intueri possint, fervidiore eum studio amplectantur necesse esse, nec mirum videri,

si ipsi curiae parietes pro eximio illo benefacto Caesari gratias agere gestiant. Cap. III, §. 8—10.

C. Marcelli mentione facta, non negligit exponere orator, quantopere de omnibus Marcellis et mortuis et vivis meritis sit Caesar, quo facto iterum ad hujus diei laudem revertens, omnibus hanc maximis et innumerabilibus ejus gratulationibus praeferendam esse affirmat, quum justitiae et aequitatis signa, hominum animis impressa, omnia victoriarum monumenta et tropaea diuturnitate victura sint, et quum Caesar hoc die se ipsum i. e. omnium ceterorum victorem vicerit, eum victoriam ipsam vicisse videri atque unum invictum dici Cap. IV, §. 10—12. Jam occasionem arripit noster et se et Marcellum coram Caesare defendendi, atque tanquam errore quodam humano inductos ab hostilis pertinacia crimine liberandi. Se ipsum quidem semper de pace cogitavisse, quod vero Pompejum secutus sit, quamvis illius belli exitum cogitatione semper praeceperit, hoc privato officio et memoria veteris necessitudinis factum esse profitetur. Cap. V, §. 13—15.

Idem, pergit orator, Marcellum quoque sensisse, ut qui insolentiam et impotentem ferociam Pompejanae partis non minus quam ipse timuerit. Eo clarius contra Caesaris in victos clementiam et moderationem animi elucere, quo magis jam tum omnes illorum improbitatem et in cives inermes furorem horruerint. Hoc igitur nonnisi deorum consilio factum esse videri, qui, postquam civili illo bello poenas a populo Romano sumseriut, Caesaris victoria significaverint, se jam placatos et satiatos omnibus spem salutis reddidisse. Quibus peractis ad Caesarem conversus, eum sua virtute gaudere et de civibus cogitantem recordari jubet maximorum et immortalium beneficiorum, quibus cives suos ornaverit. Nec defatigetur, eum obsecrat, in conservandis bonis viris, errore tantum et falsa officii specie inductis, quibus verbis gratiarum actionem concludit orator. Cap. VI, 16—20.

Quodsi hic in praesentia subsistamus, quaerentes, quomodo praecedentibus propositum suum assecutus sit orator, equidem omnino non video, quid in tota tractatione nos vere offendat. Sententiae non solum apte excogitatae atque ad tempora et personas accommodatae, sed etiam sic dispositae et collocatae sunt, ut, meo quidem iudicio, justo ordine se excipiant, atque altera alteram juvet augeatque. Sin vero artem quaerimus, qua oratori singula ad unum illum finem persuadendi et commovendi dirigenda et componenda sunt, ab hac quoque parte omnia bene habent.

Etenim ne commemorem externa illa, quae minoris aestimanda esse videntur, ornatum dico verborum et sonitum, qui aures audientium captent et leniter permulceant, non caret oratio ardore illo et quasi impetu, (furorem apud poëtas appellant) qui auditorem statim in medias res rapiunt animumque ejus ita occupant, ut graviter commotus nihil aliud cogitet nisi res propositas. Haec vera esse, exemplis quidem illustrare et probare possem, nisi vererer, ne justo loquacior et in re plana molestior lectoribus esse viderer, quamobrem hac opera supersedens nihil nisi ad orationem legendam eos invitatos volo, qua lecta statim apparebit, num Wolfius recte fecerit, illam „ineptam, stultam, ridiculam, inanem rerum et sim.“ clamans.

Alterum, quod quidem in disertissimo quoque non raro desideratur, moderatio illa est et quasi prudentia, qua quis in omnibus modum tenet, multisque, quae sponte offeruntur, sed non prorsus necessaria videntur, abstinet et ita se continet, ut saepe minus dicere malit quam plura. An quisquam negabit, oratorem, occasione data Caesarem laudandi, multo plura proferre laudemque omnibus modis augere potuisse? Nonne res ejus gestas singulas enarrare et perlustrare, nonne clementiam in victos, continentiam in rerum omnium potestate, justitiam et aequitatem animi, sapientiam denique in ordinanda republica copiosius exponere exemplisque illustrare potuit? Talia quidem cum apud tertii sive quarti p. Chr. seculi Panegyricos, tum apud Plinium ipsum deprehendimus, qui in Panegyrico suo Trajano imperatori scripto et in curia praelecto tam male se continuit, ut CXXV. capitibus non orationem sed historiam, non rerum gestarum compendium et quasi florem, sed commentarios ipsos audire nobis videamur. Quorum quum nihil in nostro reperiamus, argumentum certe justam nobis suspicionem movere non poterit, quum ab hac parte nihil cum Eumeniis illis ceterisque seriorum temporum Panegyricis commune habeat.

Nec minus quam in materia eligenda virtus supra dicta cernitur in ipsa laudandi ratione, qua si quis incommode et male utatur, statim se unum e grege imitatorum prodat necesse est. Jam vero, hac causa proposita, cuilibet alii facillimum fuisse peccare et labi, quis, nisi plane injustus rerum existimator, infitias ire poterit? Licet enim Wolfius illam causam pro Marcello gratias agendi et Caesarem laudandi omni gravitate aut difficultate aut denique gratia exuere ac denudare studeat l. l. p. 26, quis ei fidem habebit, qui epistolam supra exscriptam attento animo legerit? Quis non potius concedet, rem, in qua Cicero ipse „quasi speciem reviviscentis reipublicae videre sibi videbatur“ et gravissimam et tractatu difficillimam

fuisse? Quis nisi in his rebus maxime versatus tot tantisque difficultatibus et laqueis se expedire, quis Caesarem laudare nec Marcellum, strenuum ejus adversarium, laedere, quis novo rerum statui gratulari nec Pompeji omniumque bonorum causam turpiter deserere et prodere, quis denique proprias et praecipuas Caesaris virtutes ita commendare potuit, ut simul veterem reipublicae formam defenderet ac tueretur? Nonne cuilibet minus exercitato hic fluctibus quum se tradere velit, verendum fuit, ne Charybdim vitans in Scyllam incideret? Rectissime igitur Jacobus ad hanc partem adnotavit, oratorem quidem adulari Caesari suo, nec tamen ei parcere, eundem quidem res, quas ille gesserit, commemorare, nec tamen tacere, quae desideret, omnino sic eum miscere dulcia cum amaris, lenia cum acris, ut eum etsi non virum fortissimum, tamen certe eloquentissimum et prudentissimum cognoscamus. At vero „longe humilius in Marcelliana quam in Ligariana et in oratione pro Dejotaro ad victoris pedes se abjicit magnus consularis,“ ut Spalding. censet p. 9 et paullo inferius „quis enim — — — poterit non aegre ferre atque adeo ingemiscere orationem ita demissam factamque plane ad adulatoriam servitutem, eamque protinus et in ipsis libertatis amissae initiis Gallo quodam Asinio vel Haterio Scaurove digniorem, quam veteris facundiae et Romanae virtutis exemplo? (sic!) Ad quae Jacobus p. 51. omnem cum illis orationibus comparationem rejiciendam censet, quod utriusque finis plane diversus sit a Marcellianae, qua nihil nisi gratiae agantur, Ciceronem vero in hac oratione fere coactum fuisse ad adulandum, nisi e fine et consilio ejus appareat, facillime demonstrari posse ex honoribus omnis generis, quos senatus Romanus in Caesarem civilis discordiae victorem congesserit, quique sane ita comparati fuerint, ut iis fere omnem et reipublicae et priorum honorum memoriam auferre et extinguere voluisse videatur; de qua re historici audiendi, e. c. Dio Cass. XLIII, 14. v. Jac. p. 59. et Passovius p. 266 non minus ad rem, ut mihi videtur, „omnem,“ inquit, „adulationem jam esse nimium quoddam, nec, si quis ad adulandum se demiserit atque abjecerit, modum et finem statui posse, ubi ille finem faciat. Neque hanc adulandi resque augendi rationem Ciceroni esse inusitatam atque ab eo alienam, cujus exempla orationes pro Ligario et pro Dejotaro multa praebeant, quae si in nostra quoque reperiamus, eo majorem ei fidem habeamus necesse esse.“ Quibus, ut meam qualemcunque de hacre sententiam aperiam, nihil habeo, quod addam, nisi, eam mihi sic esse comparatam videri, ut, qui Ciceronem semel tantum perlegerit, de adulandi animo ac copia jam dubius esse non possit. Ceterum aliam quoque viam ingredi ac, quum illae orationes

tanquam unica hujus rationis exempla sola laudatae sint a Wolfio et Spaldingio, primam quamque aliam in discrimen vocare libet, ad quod offertur nobis oratio pro lege Manilia, cujus haec similitudo cum Marcelliana reperitur, ut quemadmodum in nostra Caesarem, sic in illa Pompejum laudet et extollat. Hic vero legimus cap. X, §, 27: Nunc vero, quum sit unus Cn. Pompejus, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit, quae res est, quae cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? Ejusd. cap. §. 28 de eodem: — — — qui saepius cum hoste confligit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt. Et cap. XI, §, 29: — — quae tanta sunt in hoc uno (int. virtutes imperatorias) quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt. Ejusd. cap. §. 31: Hoc tantum bellum — — quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Et cap. XII, 33: Pro dii immortales! tantamne unius incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reipublicae potuit, ut et q. seq. Cap. XIII, 36: Ac primum, quanta innocentia debent esse imperatores! quanta — temperantia! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate! quae breviter, qualia sint in Pompejo, consideremus: summa enim omnia sunt, Quirites et rel. Cap. XIV, 41: Itaque omnes quidem nunc his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum, intuentur. Ejusd. c. §. 42: Et quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur? Quae vero praecedentia superare et obscurare mihi videntur, legimus cap. XVI, 48: Hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt.

Quibus locis, quorum similes multi alii deprehendi possunt, hoc certe efficitur, summum oratorem non in Ligariana sive in oratione pro Dejotaro solis ad blandiendum se demisisse, sed alias quoque luxuria et nimietate quadam gaudere, eundem in rebus describendis res modo augere modo minuere pro consilio et fine orationis, in comparationibus saepe infinita quaedam et generalia sibi permittere, ubi circumscriptis et singularibus utendum erat, nec minus eum superla-

tivum gradum adamasse, ubi positivus prorsus sufficiebat et sim. Quod tantum abest ut illi vitio vertamus, ut eum omnium fere oratorum more et consuetudine excusatum habeamus, praesertim quum ipse hujus rei rationem nobis reddat, qua fore ut etiam levitatis et temeritatis crimen effugiat, merito sperare potest; sic enim in oratione p. Cluentio c. L, 139: „Sed errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum et patronorum.“ Et de Invent. rhet. I, 5: Officium oratoriae facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem, finis, persuadere dictione,“ et sic multis aliis locis, quos collegit Jacobus p. 48. His recte pensitatis et ad Marcellianam adhibitis, dubium jam esse non poterit, opinor, quo res inclinetur. Etenim omnia, quae in ea cum veri quadam specie notari et reprehendi possunt, haec fere sunt. cap. I, 1: „Tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam“ et q. s. cap. II, 4: „Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit.“ Ejusd. §. 5: „Soleo saepe ante oculos ponere — — — omnes nostrorum imperatorum, omnes ceterarum gentium, — — — — cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero proeliorum, — — — — posse conferri; nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis — victoriis lustratae sunt. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora.“ Cap. III, 8: „Haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico.“ Cap. III, 10: Parietes, medius fidius, ut mihi videtur, hujus Curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum et suis sedibus. Cap. IV, 12: Nam quum ipsius victoriae conditione et ¹⁾ jure omnes victi occidissemus, clementiae tuae judicio conservati sumus. Cap. V, 14: Hominem sum secutus privato officio, non publico; tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut — — — prudens et sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium.“ Quae quidem omnia, etsi non ab omni

1) Sic enim cum B. Weiskio legendum videtur, etsi et in Codd. omisum est. Hac levi medicina, meo quidem judicio, locus praeclare sanatur, quod jam sonitus verborum, antea justo molestior, Wolfium docere debuit. Cf. Wolf, Weisk, Jacobum ad h. l.

culpa liberanda, certe non ita comparata esse videntur, ut Cicerone indigna habeantur, si cum illis supra allatis conferantur. Jam vero video, quid contradicturi sint adversarii, Wolfianae sententiae fautores: aliud quid fuisse Pompejum laudare, illo tempore de patria meritissimum Ciceronice amicissimum, aliud Caesarem, patriae hostem et reipublicae eversorem; et quamvis Catones non aequare nostrum, discretiorem quam fortiorem, constet, quid? quod identidem a sua ipse causa mirum in modum desciscat, attamen semper virum se gessisse et Romanum, neque unquam se ita abjecisse, ut servilibus blandimentis assueto tyranno palparet. (Sunt verba Spaldingii l. l. p. 10.) Ad quae, ne tam gravi negotio me immisceam, equidem Ciceronem ipsum respondentem faciam, ut qui hujus rei optimus nobis testis futurus sit. Ac primum, quid ipso belli civilis tempore de Pompejo cogitaverit et judicaverit, inspiciamus. Sic enim ad Atticum suum scribit Ep. ad Att. IX, 7: „Mirandum in modum Cnaeus noster Syllani regni similitudinem concupivit, *εὐδὸς σοὶ λέγω*: nihil ille unquam minus obscure tulit.“ Ibid. XI, 6: „Tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus conjunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata et Fam. VI, 6: Veritus sum deesse Pompeji saluti, quum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaras, sic ego prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Plures locos congescit Jacobus l. l. p. 50, sqq. Quales vero in Caesarem sensus ejus fuerint, et quidem post civilis discordiae flammam extinctam, itidem ipse nos optime docebit, ni fallor, ad Fam. I, 9, 21 scribens: „Non permanendum in una sententia, conversis rebus ac bonorum voluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum. Nunquam enim praestantibus in republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio. — — Ibid. §. 17. Illud vero non obscure queruntur in meis sententiis, quibus ornem Caesarem, quasi desciscere me a pristina causa — et ibid. §. 18: Itaque tota jam sapientium civium, qualem me et esse et numerari volo, et sententia et voluntas mutata esse debet. — — Huc accessit commemoranda quaedam et divina Caesaris in me fratremque meum liberalitas: qui mihi, quascunque res gereret, tuendus esset: nunc in tanta felicitate tantisque victoriis, etiam si in nos non is esset, qui est, tamen ornandus videretur. et Fam. IV, 4, 5: Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Caesar velle videatur. Quibuscum a Jacobo allatis p. 52 conferas, quae in una eademque epistola de Caesare praedi-

cat ad Fam. VI, 6, 8: In Caesare haec sunt: mitis clemensque natura, qualis exprimitur praeclaro illo libro Querelarum tuarum. Accedit, quod mirifice ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur. Praeterea cedit multorum justis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus. Ibid. §. 10: In quo admirari soleo gravitatem et justitiam et sapientiam Caesaris; nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. — At in ejus persona multa fecit asperius. — Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris. At nos quemadmodum est complexus! Cassium sibi legavit: Brutum Galliae praefecit: Sulpicium Graeciae: Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Ibid. §. 13. Nunc hoc amplius, quod me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur: familiares quidem ejus, sicuti neminem.

His perlectis, quid statuemus? Utrum Ciceronem etiamnunc Romanae virtutis exemplar cum Spaldingio habebimus, an talem esse censebimus, qui animi sententiam nonnunquam celare, atque omnia ad finem et propositum accommodare didicerit, sicut sapientem rerumque civilium peritum civem decet, praesertim quum ipse hoc ingenue confiteatur nec se unquam pro Catone vendat? Verum ne summum nostrum oratorem calumniari videar, equidem Ciceronis inconstantiam et in rebus civilibus varietatem ob id ipsum excusatam habeo, quod Caesar, et Pompejo et omnibus ceteris bellorum civilium victoribus hac in re longe superior, non solum vincere et profligare, sed etiam ignoscere adversariis atque eos erigere potuit. Qualis animi magnitudo quum adhuc inaudita esset, non potuit non omnes et imprimis Ciceronem ita capere et afficere, ut in eo libenter Deum sive Deo simillimum, i. e. virum singulari virtute et humanitate praeditum, agnosceret. Atque hujus rei et omnium aequalium et seniorum scriptorum expressa habemus testimonia.

Quod adhuc de priore Marcellianae parte demonstrare conatus sum, de posteriore facilius etiam probari posset, nisi limites huic scriptiunculae statuti me hoc loco consistere juberent. Quum enim adversarii hanc partem minus ob humilem adulandi cupiditatem et sensus turpiter abjectos quam ob id aggressi sint, quod omni adversetur historiae, ceterum, si ineptam quandam Caesarem adhortandi et ad officium revocandi rationem excipias, non prorsus male se habere, nihil opus esse videtur, nisi testimonia denuo conquirere, quibus argumentum orationis cum illorum temporum historia optime congruere atque concinere comprobatur. Atque hic illis, quae

de hac parte Jacobus p. 35 sqq. doctissime exposuit, securi acquiescere possumus, cujus opera ac diligentia sic res illustrata est, ut eam, si quam aliam, pro certa habere possimus. Etenim si legimus apud Suetonium cap. LXXXV „de conjurationibus detectis, de conventibus nocturnis, quos Caesar pro forti suo et elato animo ulcisci non dignatus sit, item de acerbe in eum loquentibus, quos satis habuerit pro concione denuntiare“; si apud ipsum Ciceronem invenimus, his ipsis temporibus percussorem ab Antonio missum domi Caesaris deprehensum esse cum sica; de quo Caesarem in senatu questum esse Philipp II, 29; si porro e Dione Cassio XLIII, 18 et ex Appian. b. civ. p. 496, item e Suetonio cap. LXXXVI discimus, Caesarem satellitibus Hispanis stipatum esse, si denique verisimillima ratione effici potest, illa in hoc ipsum incidere tempus, quo orationem nostram habitam esse constat, h. e. inter bellum Africanum et expeditionem Hispaniensem, quid est, quod tantopere afficiamur illis Wolfianis p. 71 „non ex historia sumtam, sed conflata esse atrocem illam suspicionem“ et illis Spaldingianis p. 51 „nihil plane aliunde nobis, nisi ex hac ipsa oratione innotuisse de querela Caesaris, ob imminentes sibi insidias?“ Quae quum ex hac parte optime se habeant, ex argumento non minus quam ex ordine et nexu sententiarum ostendi posse confido, hanc partem de Caesaris querela Cicerone esse dignam, atque eodem jure a macula „stulti, inepti, ridiculi,“ quam omnibus adpersit Wolfius, purgari posse ac liberari. Jam, ut sermonem et latinitatem verbo quoque attingam, Wolfio et Spaldingio libenter concedam, non pauca quidem in Marcelliana inesse, quae reprehendi possint, plura negligentius scripta, nonnulla etiam fere desperata et, nisi meliores codices expectabimus, vix sananda, quamquam negari non potest, multas offensiones Wormii, Weiskii, Jacobi, Klotzii studiis et curis esse remotas; attamen tantum abest, ut propter haec, quae externae tantum formae et gratiae officiant, orationem damnem, ut in his gravissimum testimonium et documentum, esse genuinam, videre mihi videar, quippe sic omnia impetum quendam et festinationem prodant viri ex tempore dicentis, atque animum ad externam formam tuendam non satis sedatum et tranquillum. Quae peccata, (quum a me impetrare non possim, ut credam, ea Ciceronis aciem et limam effugisse in scribendo), etsi mihi vestigia et lumina virtutis vere oratoriae, qualia supra ostendisse me confido, nullo modo obruere et obscurare videntur, ad conjecturam tamen confugere me cogunt, vulgatae opinioni plane contrariam, de qua, data iterum occasione, postero tempore agere me satius duxi.

Am 16. Februar wurde der Anstalt ihr bisheriger verdienstvoller Vorsteher der Königl. Gymnasial-Director Herr Eduard Hänisch durch den Tod entrissen. Die Bestürzung über diesen unerwarteten Todesfall war allgemein, und der Verlust, den die Anstalt dadurch erlitten hat, ist sehr groß, weil der Verstorbene nicht nur durch Kenntniß und Umsicht ausgezeichnet war, sondern ihr auch mit der größten Treue und Hingebung seine ganzen Kräfte widmete. Die hier folgenden Nachrichten wurden noch ganz zuletzt von ihm entworfen, und bedurften nur in einigen Theilen eine Vervollständigung. Ein kurzer Nekrolog folgt zu Ende dieser Blätter.

